

DE VARIOLIS

detur. Nos verò de variolis & morbillis, quæ modo generationis differre non videntur, nunc solum agemus.

Quinq; obseruanda in variolis & morbillis.

3. In variolis & morbillis quinq; obseruanda sunt, quibus ab alijs exanthematibus distinguuntur. Primùm variolas esse exanthemata sublimia, per totum corpus erumpentia, in abscessum plerunq; desinentia, cum ichore purulento, magno dolore & pruritu: Morbillos verò exanthemata lata, per totum corpus erumpentia, cum exiguo dolore & pruritu, quæ facilè discutiuntur. Deinde cum feбри continente, quæ impetuosa est, plerunq; aduenire. Tertio omnes ferè homines his malis semel potissimùm tentari; paucos bis: paucissimos ter. Quarto puerili ætati in primis contingere; rarò iuuenili: rarissimè senili. Quintò, morbum vt plurimum contagiosum & epidemicum esse, sed non pestilentem, pluribusque communicari, in primis pueris & qui hoc malo prius tentati non fuerunt: interdum accidere vt hic morbus sporadicus tantùm sit, & hunc aut illum priuatim apprehendat.

An veteribus cognita fuerunt variolæ & morbilli?

4. His positis & concessis, apparet quidem, hunc affectum ante Arabes à veteribus, in libris qui nunc extant, satis distinctè & diligenter pertractatum non fuisse: non tamen certa ratione inde colligitur, Hipp. Gal. Celsum, Aëtium aliosq; veterum variolas & morbillos prorsus ignorasse, aut circa tempora Arabum primùm incepisse. Nam nec ipsi Arabes, qui hunc morbum satis distinctè & accuratè tractarunt, affirmare videntur, nouum aliquod morbi genus esse, veteribus incognitum. Deinde si nouus fuisset, causas eius non retulissent ad reliquias, impuritatis sanguinis menstrui, quo in vtero foetus vsus est.

5. Verùm credibilius multò est, aut vitium hoc illa ætate minus graue fuisse; aut quia eruptiones criticae sunt, siue accidentia, quæ vt plurimum epidemij affectibus, aut febris

bus